



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

Qvæstio 1. Quid sit vacatio beneficii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



# FORI BENEFICIALIS

## PARS TERTIA.

De vacatione, amissione, alteratione, suppressione,  
extinctione beneficiorum.

### SECTIO PRIMA.

DE VACATIONE ET AMISSIONE BENEFICIORVM.

### CAPUT PRIMUM.

DE VACATIONE PER MORTEM NATVRALEM.  
ET CIVILEM.

#### PARAGRAPHVS I.

De vacatione beneficii in  
genere.

*Questio 1. Quid sit vacare beneficium?*

**R**espondeo: de hoc in genere vix re-  
ste aliquid dici, meliusque statui de  
eo ex sequentibus; unde

*Questio 2. Quotuplex sit vacatio beneficii?*

**1.** Respondeo triplex; nempe de facto tantum,  
de jure tantum, de facto & de jure simul.  
Barbof. *juris Eccl.* l. 3. c. 14. n. 71. Gonz. *ad reg.* 1.  
gl. 15. s. 8. n. 3. Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 2. Vacare de  
facto tantum, seu vacare tantum quoad possessio-  
nem dicitur beneficium, ubi quis titulum Cano-  
nicum beneficii, & jus in eo habet, possessionem  
tamen illius nullus habet, seu ea vacua est: dum  
v.g. Collatarius post factam sibi collationem à se  
acceptatam de beneficio carente & Domino alio,  
& possessore, necdum illius possessionem apprehendit.  
Gonz. *l. c.* n. 6. Item dum verus Dominus  
beneficii retinens titulum, possessionem habitam  
amittit; quia eà dejicitur vi, vel per metum inju-  
ste incussum renuntiat beneficio, nemine ejus pos-  
sionem occupante. Gonz. *loc. cit.* Azor. *loc. c.* Pi-  
rithing. *ad tit. de concess. preb.* n. 17. Item dum is, qui  
non habet iustum titulum, aut jus in beneficio, sed  
solum possessionem aut detentionem, vel decedit, alio

P. Leuren, Fori Benef. Tom. 114.

interim existente, qui habet verum jus in illo bene-  
ficio. Gonz. *loc. cit.* n. 7. citans Paris. *de resign.* l. 1. q.  
17. n. 13. Rebuff. *conf.* 38. n. 1. & seq. & sic vacare  
poterit de facto per obitum unius, & de jure per  
obitum alterius. Gonz. *num.* 8. ac denique juxta  
Gonz. *n. 5.* & Barb. *cit.* n. 71. dum quis longo tem-  
pore est absens à beneficio suo, & nulla habetur  
de eo notitia, seu ignoratur, ubi sit, dicitur vacare  
beneficium de facto; quia (posito, quod nullum  
vicarium reliquerit) nemo est, qui illi beneficio  
inserviat; & tamen talis absens, ut Barb. citans  
Abb. *in c. tua. de Clericis non resident.* non amittit per  
hoc titulum; nisi forè post Canonicam citatio-  
nem, & monitionem in contumaciam eo privatus  
fuerit. De cetero exemplum hujus vacationis de  
facto tantum, quod adducunt Pirh. Azor, & alii  
de eo, qui collatum sibi beneficium necdum accep-  
tavit, non subsistit; quia ut dictum aliàs, & dicitur  
paulò post iterum, per collationem non accep-  
tatum jus nullum in beneficio acquiritur, adeoq;  
tale beneficium vacare adhuc potest de jure.

**2.** Vacare de jure tantum, seu quoad titulum  
tantum dicitur beneficium, dum quis possidet be-  
neficium absque eo, quòd is, aut alius quispiam ti-  
tulum ejus, aut jus in eo habeat, v. g. dum quis abs-  
que Canonico titulo de facto se intrudit in bene-  
ficio, in quo nemo alius jus habet. Gonz. *loc. cit.*  
n. 4. Item dum quis cum colorato titulo beneficii  
per obitum vacantis possessionem capit. Barb. *loc.*  
*cit.* Item dum quis per affectationem secundi bene-  
ficii alicujus incompatibilis ex juris dispositione  
perdit eo ipso primum, seu censetur eo privatus,  
absque eo, quòd prioris possessionem dimittat, seu  
desinat illud occupare, ac talis possessio plus facti  
quàm

A

quàm